

05

A

213

I
R
P
D
T
J



N. 30

IN NOMINE JEHOVÆ ELOHIM!
DEI PATRIS IN PARADISO DEAMBULANTIS,
RECTORIS UNIVERSITATIS,
DEI VERBI, VÖCIS IN PARADISO SONAN-
TIS, ET PRÆDICANTIS,
PROCANCELLARII CUNCTOS HONORES
IMPETRANTIS, ET DISPENSANTIS,
DEI SPIRITUS DIEI, LUCENTIS, SPIRANTIS,
ET MOVENTIS,
PROMOTORIS, HONORES APPLICANTIS,
TOTIUS SACROSANCTÆ TRINITATIS,
DECANUS,
THEOLOGICÆ FACULTATIS,
IN ACADEMIA WITTEBERGENSI,
JOHANNES *Deutschmann*/
SS. THEOL. D. P. P. & SENIOR,
AD
DOCTORALEM AULAM,
DIE XXVI. FEBRUAR. HOR. IX.
IN LOCO BRABEVTERII PUBLICI,
TEMPLO ARCIS,
SOLEMNIBUS RITIBUS CELEBRANDAM,
MAGNICUM DN. RECTOREM,
PERILLUSTREM DN. BARONEM,
UNIVERSOS ACADEMIÆ PROCERES,
PATRES, ET CIVES, & alios
HOSPITES,
Observanter, Officiosè, & Humaniter
invitat.

116911

IN NOMINE JEHOVÆ ELOHIM!
PRIMI RECTORIS, DECANI, ET PROMOTORIS,
PATRIS, FILII, ET SPIRITUS SANCTI,
IN ACADEMIA PARADISIACA!



*Paradisus totius Mundi Symbolum, Universitatis
Omnis Summarium, Generis Humani Compen-
dium, Omnium Statuum Ejus Principium, Om-
nium Personarum Seminarium, Omnium
Rerum Promptuarium, Omnium Actionum Flo-
rilegium est. Uno verbo, τὸ πᾶν est. Nec
Programma, neque brevis Scriptura, vel etiam
integrum Volumen sufficeret, si quis hæc singula pro copiosis-
simis Historia Paradisiacæ mysterijs exponere, vel diducere vel-
let. Est enim Paradisus Hortus primus, Hortus, non à Botanico
quodam perito, sed ab ipso Deo, Botanico Botanicorum, artificio-
se plantatus, omnibus numeris perfectus, & absolutus. Hortus
erat necessitatis, qui cuncta Vitæ necessaria, non hominibus modo,
sed & animalibus offerebat. Hortus erat commoditatis, qui com-
modam Hominibus, & Brutis, commorationem, & habitationem,
concedebat; Aulam Regis Mundi, videl. Hominis, tanquam terre-
stris Imperatoris, mira commoditate præ se ferebat. Erat Hortus
Voluptatis, quod proprium ipsi nomen fuit, dum pulchritudine
rerum, & ordinis elegantiâ, multisque modis aliis pascebat ocu-
los, jucunditate cantuum, & varietate vocum, & consensione sym-
phonicarum volatilium recreabat aures, dulcedine fructuum abun-
dantissimorum delectabat gustum, & ut alia taceamus, per
Jehovæ Elobim perpetuam præsentiam, colloquiorum divinorum fre-
quentiam, & cultuum sacrorum ordinatissimam condecentiam, sum-
mas, maximas, & optimas delicias Homo percipiebat. Sed
hæc, & alia, modo persequi non licet, dum scriptum præsens ad
Programmatis angustis cancellos contrahitur. Unum tamen,
ex illustri quadam occasione data, silentio præterire neque pos-
sumus, neque debemus, neque volumus. Per Divinam Gra-
tiam, & Gratosam Dei Providentiam, Collegio Nostro Doctoratus
Theologicus cœlesti munere clementer offertur, quod ingens
Dei donum grata mente considerare, grataque lingua celebra-
re, veræ pietatis est, debitæ gratitudinis est. Vix autem huic institu-
to me-*



05. A 213

to melius consulere poterimus, quam ut ad *primos Doctores*
Promotionis Natales, vere *Paradisiacos*, nostras *Doctores* meditationes referamus, & ex *Paradiso*, tanquam *Actionum omnium perfecto Florilegio*, *Doctorem* etiam *Actum*, secundum *Authenticam Historiam Paradisiacam*, ordine convenienti deducamus. *Dulcius ex ipso fonte bibuntur aqua*, non modo *physica*, sed etiam *mythica*, non tantam *refocillationis naturalis*, sed etiam *informationis mentalis*: imò *purius*, & *gratius*, *planius*, & *plenus*, ex *primo fonte* bibuntur *Aquæ veræ sapientiæ*. Dicitur alias, quod *Ecclesia* fit *Paradisus*, sic & in *Ecclesia Florens Academia* verus *Paradisus*, imò *Collegium* unumquodlibet etiam in *Hac* *Divinus* quidam est *Paradisus*, & *Solenniores* denique *Collegiorum Actus* *Paradisi Naturam* æmulantur; ex quibus certe *Doctorealis Aulus* neutiquam inter *postremos* numerandus. Jam igitur nobis *Paradisus Primam Aulam Doctorem* accurate demonstrabit, omnia *necessaria*, secundum convenientem ordinem, explicabit. *Utilitates* etiam *omnis generis Doctorealis Promotionis* prolixa serie notaret, nisi *concisus Programmatis* ambitus calamum modo coerceret. *Textus* vere *Paradisiacus*, hoc est *abundantissimus*, tantarum est *divitiarum*, ad *exhibendam*, & *exponendam Primam Doctorem Aulam*, ut citius *vita* *Scribentis*, quam *Materia* *scriptionis*, & *tractationis*, deficeret. Tot etiam *tractandi*, vel *commentandi formas*, & *vias*, ostendit, quarum *singula*, tam *ordinis pulchritudine*, quam *rerum proponendarum plenitudine*, tantopere mirifice se commendunt, ut *difficilior* videatur esse *delectus*, quæ ipse *commentationis tractatus*. Nos hac vice *tritissimam* *viam* observabimus, & prout in *Objectis Practicis* enodandis fieri consuevit, *Aula Prima Doctorealis Personæ*, *Res*, & *Actiones*, breviter attingemus, cum easdem *justa declaratione* contingere, multo minus *intimius*, *juxta nervosissima Doctore Doctorum* *verba*, *pertingere* liceat. Conspicimus igitur in *Aula Doctoreli Paradisiaca Personæ*, *Alias* ante *Doctorem Aulam*, *Alias* circa *Doctorem Aulam*, *Alias* post *Doctorem Aulam*. O quam *juvandum*, *omniqve delectatione plenum*, foret, si *Personis* illas *ordine* *contemplari*, *dignisque modis*, si non *ex debito*, vel *merito*, tamen *ex gratiæ*, *divinitus concessa*, *modulo*, nunc *meditari* possemus. *Ante Doctorem Aulam duplicis generis Personæ* maxime *necessariæ* *produciuntur*, *Docentes*, & *Discentes*. Nam
(2 ubi

ubi nulla præcedit *Docentium cura, doctrina, disciplina*, nec ulla
Discipulorum intentio, promittitudo, diligentia, nulla discipulorum
 vel auscultatio, vel exercitatio, nulla pariter ibi succedit *Discen-*
tium exaltatio, nulla Doctoralis promotio, nulla Gloria Doctoralis
dispensatio. Diligentia, non negligentia, Sapientia, non insipi-
entia, Virtus, non vitium, in Discipulis, atque per varia Doctrina
Gymnasmata fatis elaboratis, & exercitatis, vel in Doctorandis coro-
natur. Paradisiaci Doctores, non fuerunt ἀληγοί, vel ἀυτόληγοι
Cacodæmones, qui per suum Principalem, Serpentem antiquum,
Draconem Magnum, pessime genus omne Doctrinae Paradisiacæ,
Genes. II. 17. corruerunt, Discipulos Paradisiacos à via veritatis
abduxerunt, & in varios errores eos pertraxerunt, totamque
Scholam Creatoris Paradisiacam dissolverunt: sed Paradisiaci Do-
ctores potius extiterunt Tres Elobim, ex divina, vereque pu-
blica, tum Autoritate, tum Potestate, Docentes, novas Regni Gratiæ
Scholas aperientes, Discipulos rebelles, & immorigeros, amentes, &
stupidos, tardos, & bardos, apostatas, & profugos, ad has Scholas
invitantes, & vocantes, imo trahentes, medijs evidentibus, &
convenientibus, efficientibus, & sufficientibus, doctrinam sa-
lutis proponentes, & exponentes, methodo facili, mereque di-
dactica, felici, vereque fructuosa, quoad informationem, u-
tentes, diligentiam, & vigilantiam, curam, & sollicitudinem, pru-
dentiam, & constantiam, omnem adhibentes, ad doctrinae saluta-
ris speratos successus, veræ perfectionis exoptatos profectus, &
Doctoralis Promotionis expectatos eventus, cuncta dirigentes.
O Felices Auditores, qui tales consequuntur Informatores, qui
docent, ὡς ἐξ ἁγίας non tantum, sed ἐνεργειαί etiam habentes!
Matth. VII. 29. Hic Dictum Factum! Hic *Doctrina Docentis statim*
fit Sapientia Discipulis! Discipuli fuerunt nostri Protoplasti, doctrina
vacui, disciplina destituti, notitia nulli: tenebris obscuratâ mentē,
concupiscentiis malis depravatam voluntatē, omni tū aptitudine,
tum habitudine discendi spiritualia carentes, omni stupiditate,
mentisq; pravitare pollentes. Breviter, omne bonū aberat, omne
malum aderat! Hic dicendum erat illud vetus: Non ex quolibet
ligno fit Mercurius, nec ex quovis stolido Theologus! Sit pessima
Natura, modo proba fiat cultura. Cultum certe tunc optima Pro-
toplastis contigit. Jehova Elobim ipse factus illorum Doctor,
& Informator. Hic amentes in Schola sua mox convertit in
mente

mente valentes, *Stupidos in discendi cupidos, sultor in sapientes, tardos, & bardos in veloces, & pracoces, Discentes in Docentes, & ad Aulam Doctorem satis pronos, & promptos, aptos, & expeditos. Informationis plenitudo, quoad legem, & Evangelium, facta Doctrinalis Promotionis certitudo. Introducuntur igitur Persona Doctorem Aule, quæ sunt, ex consuetudine praxi, Promoventes, & Promotione obtinentes. Promoventes sunt persona SS. Trinitatis, Deo Trinus, Pater, Filius, & Spir. S. In Academicis Doctorem Aulam præsto sunt potissimum, Rector Universitatis, Decanus, & Procancellarius, Autor potestatis, Promotor, & Collator Doctorem Dignitatis. Nullus harum personarum in Paradisiaca Promotione defectus. Jehovah Elohim Pater, totius Universitatis Rector, Supremus omnium in Paradiso creaturarum Inspector, Maximus Universorum Director, & Optimus singulorum Provisor, qui, ceu Præses Universitatis, in Paradiso semper obambulat, cuncta prudens observat, & tam mala, quam bona, paterna sua providentia sapienter ordinat, potenter ad suos fines destinat, & ad suam Gloriam universa gubernat. Hic Rector, & Pater Universitatis, Adamum in scholis variis formatum, & informatum, el. bonitum, & exercitatum, confirmatum, & consummatum, voluntate paterna, Doctorem dignitati destinat, autoritate sua magnifice Doctorem Aulam adornat, & potestate sua valida cuncta Doctorem Acta confortat, & confirmat. Hoc Rectore præsentem, volente, promovente, Promotio firma dicitur, & stabilis. Sub hujus auspiciis mox surgit Logos, Patris, & Consiliarius, & Cancellarius, & Referendarius, qui, tanquam Consiliarius, Promotionis Doctorem consilium suggerit, tanquam Cancellarius in sinu Patris consilium in Decretum Promotionis convertit, & tanquam Referendarius consilium Promotionis, ad intra Decretum, vel Doctorem Decretum, æterno Dei consilio munitum, è sinu Patris publicat, & ut Procancellarius Patris voluntatem, instar Vocis sonantis, & ex corde Patris in aëre resonantis, de Adamo, plenissime jam informato, nunc in Doctorem creando, per autoritatem, & potestatem, ad homines, à Patre sibi concessam, publico præconio promulgat. Mox ad publicatam Patris, ceu Rectoris, voluntatem, & Procancellarij, vel Decani, concessam Potestatem, in Cathedra Paradisi, suum opus facit Spiritus Sanctus, ceu Spiritus Dei, Summus Promotor, & dignitatis Doctorem Supremus Collator. Hic Adamum non modo divino-*


rum *Mysteriorum* notitia, *donorū gratiæ* scientia, sed & *Ministeriali-um laborū* peritia, per *charismata* sufficientia replevit, ut idoneus ad *Promotionem Doctoralē Candidatus* esset. Omnia *Spiritus Ipse* fuit in Eodem operatus. *Promovit*, ut *Promotor*, ejus mentem, ut loco tenebrarum lucem claram doctrinæ conciperet; *Promovit* ejus *cogitationes*, ut à vanitatibus serpentis ad veritates Dei rediret; *Promovit* ejus *meditationes*, ut mysticas de *Vera Vita* considerationes institueret; *Promovit* ejus *voluntatem*, ut gratiosam Dei gubernationem admitteret; *Promovit* ejus *cor*, ut serpentem cum mendaciis, & incredulitate, dimitteret, & verbo gratiæ, fideiqve, locum omnem concederet; *Promovit* ejus *aures*, ut Vocem *Jehova Elobim* solum audiret, & per assistentiam *Spiritus* in succum & sanguinē converteret; *Promovit* ejus *oculos*, ut intuitu fixo, juxta divinam ordinationem, *sacrificiorum ritus* adspiceret; *Promovit* *linguam*, ut ex abundantia cordis os de *Vita* mystica tantummodo loqueretur; *Promovit* *manus*, ut *justitia vestes sacrificiales*, divinitus applicatas corpori, vel membris, induerent. Talis est *Adamus* in *Doctorem Paradisiacum Promotus*. Post *Actum Doctoralem Jehova Elobim* in omnibus expediendis est omnia, quod prolixè deduci posset: & *Novellus* hic *Doctor* ad omnia fidelium exercitia paratissimus, & expeditissimus est. Nam per *labores* itur ad *Honores*, & *Honores* conferuntur propter *labores*. Ut autem in *Paradisiaca Doctonatus Aula* comparet *Personarum plenitudo*, sic etiam *plenitudo rerum Doctonatum* minime deficit. Quoad *Doctoralem Apparatum*, nihil magis exigitur, quam *vera, plana, plena*, seu vere *sufficiens Doctrina*, quæ *generali* quidem, sed *totali*, divinæ legis repetitione, vel *restauracione*, seu *confirmacione*, simulq; *gratiosa* totius *Evangelij* nova *manifestacione* continetur. Si quis *Doctrinā specialem* simul observare vellet, omnes *Theologiae Partes*, omnes *Articulos fidei*, juxta divinam voluntatem, ad *salutem* necessarios, hic offenderet; dum, quoad *finem*, *Adamus* ex regno tenebrarum revocatur ad regnum lucis, per *Verbum Spiritum*, ad *Bonum Summum, Maximum & Optimum*, *Divinū Trinunum, Jehovam Elobim, Unum in Essentia, Trinum in personis, Patrem, Filium, & Spiritum S.* ejusque *communione*, & *fruitionem*. *Subjectum* etiam *Homo peccator*, quoad *doctrinam sufficientem*, juxta *Status* omnes introducitur. *Salutis Oeconomia*, quoad *principium*, & *fundamentum*, *Semen Mulieris*, h. e. *Messiam*, & quo-

& quoad omnia *media salutis*; ad debitam sufficientiam, revelatur. *Perfecta Theologia Doctrina perfectum peperit Doctorem Theologum Adamum.* Quoad *Doctorem Actum Res*, ad *Aulam Doctoralem* convetæ, præsto sunt. Infituitur hic *Primus Doctoratus in Paradiso*, *Dei Templo*, super *Cathedram Summi Promotoris*, in *Statione*, vid. *Dei*, dum *Adam coram Deo*, tanquam in *Dei Cathedra*, collocatur: Adest *Liber Legis*, & *Evangelij*, qui *Novello Doctori* commendatur, & demandatur: adest *Pileus Doctoralis* gratiosæ *Dei Providentiæ*, & *Tutela*: adest *Annulus Vitæ*, non *naturalis*, sed *spiritualis*, qui totum *cingit Veterem hominem*, & *Novum hominem*, instar *Auri fulgentem*, & inprimis optimam *Gemmam*, *Christum Jesum*, continentem, sistit: adest *Doctoralis justitiæ complexus*, in *vestibus sacerdotalibus*, & *pellibus sacrificialibus*, v. 21. adest per veram *penitentiam Pileus*, vel *Adami veteris*, *abjectio*, *novi Birethi*, vel *Scapus*, per *fidem possessio*. Post *Doctorem Promotionem* fulget *Novus Doctor Adamus* in *Privilegijs* suis. Conspicitur hic *Privilegium spiritualis vitæ*, v. 20. *Privilegium justitiæ*, v. 21. *Privilegium continuæ Pœnitentiæ*, vel *reconciliationis Peccatoris cum Deo perpetuæ*, v. 22. *Privilegium constantis cum Serpente inimicitie*, vel *militiæ*, v. 15. *Privilegium Unionis cum Semine mulieris*, v. 15. seu *Viro Jehovæ*, c. IV. 1. *mystica*. *Privilegium continuæ sub Crucis Vexillo pugna*, v. 16. seqq. *consequentis etiã*, nõ in *cruce modo*, sed in *ipsa morte*, certissima *Victoria*, v. 19. *Privilegium benedictionis*, & *protectionis in laboribus vocationis divinæ*, v. 23. *Privilegium conversationis*, & *conservationis Angelicæ*, v. 24. *Actiones quoque Doctorales planissimam*, & *plenissimam* exigent *deductionem*, nisi *chartarum angustia* scriptionem *contraheret*. Et *numero*, & *pondere*, & *ipsomet opere*, *perfectæ* sunt *Actiones Paradisiaci Doctoratus*, quia vere *Jehovæ Elohim* sunt *Actiones*: libet aliquas enarrare, cum *singulas enumerare*, vel *explicare* non liceat. Sufficiens hic apparet ad *Doctoratum Informatio*, *Legitima Candidati ad Doctoratum Sacerdotalem*, vereque *Propheticum*, *vocatio*, ejus in *Templo* *introductionis*, in *Cathedram Promotionis* *collocatio*, *Doctoralium Orationum recitatio*, *Solennis Renunciatio*, *Privilegiorum Collatio*, &c. Ex parte *Candidati Doctorale Specimen* in *magisteriali Vitæ Confessione*, totiusq; *Theologiæ compendiosa professione prima*, nobis exhibetur, sicut in *Adamo Theologo* *luculenter id demonstratum est*. Non igitur *Novæ Doctoralis Aula*, sed ad *prima* vereq;

Para-

Paradisæ tempora suos *Natales* reducit. Hoc breviter, sed
 evidenter, ex *Historia Paradisæ* describere volumus, dum per
 DEI GRATIAM, sub Clementissimis auspiciis SERENISSIMI,
 ac POTENTISSIMI ELECTORIS, & DOMINI, DN. JOHAN-
 NIS GEORGII III. *Saxonia, Julia, Clivia, Montium, Angaria, &*
Westphalia Ducis, S.R.I. Prætorij Præfeti, Landgravi Thuringiæ,
Marchionis Mifniæ, & utriusq; Lusariæ, Burggravi Magdeb. &c. &c.
 Domini Nostri Gratiſſimi, Rectoris Magnifico, Viro, Summè Revere-
 rendo, Magnifico, Amplissimo, Excellentissimo, DN. MICHAELE
 WALTHERO, SS. Th. D. & P. P. Celebratissimo, Alumn. Elef. Ephoro
 Speciatissimo, Promotor, Vir itidem Summè Reverendus, Magnificus,
 Amplissimus, Excellentissimus DN. CASPARUS LOESCHERUS, SS.
 Theol. D. & P. P. Celeberrimus, Eccles. Witteb. Pastor, Rector alis Cir-
 culi Superintendens Generalis, Consist. Ecclesiastici Assessor, Viris Lau-
 datissimis, & Maximè Reverendis, bene jam de Ecclesia meritis, &
 per Dei Gratiã posthæc adhuc optime merituris, eo, quo Licentiã
 à Collegio Nostro consecuti sunt, Ordine nunc adducendis,
 DN. LIC. JOHANNI GEORGIO MEISNERO, Eccles. Schmiede-
 bergensis in Vicinia Pastori, & Ephorie Kembergensis Adjuncto,
 DN. LIC. JOHANNI CONRADO SITTIG, Ecclesiæ Pegaviensis
 Pastori, & Vicinarum Superintendenti,
 DN. LIC. CASPARO GRAUN, SERENISSIMI PRINCIPIS ANHALTINO-
 SERVESTANO DORNBURGENS. Concionatori Aulico, & Confessionario,
 DN. LIC. FRIDERICO FABRICIO, Stetiniensis Ecclesiæ ad D. Ni-
 colai Pastori, & Venerandi Ministerii Conseniori,
 Summos in Theologia Doctorales Honores, ad futurum Jovis diem,
 qui Februarij XXVI. erit, in conspectu SS. Trinitatis, Ecclesiæ, & Aca-
 demie, solennibus ritibus in Domino conferet. Ad hanc Do-
 ctorem Panegyri Magnificum DN. RECTOREM, Per-Illustrem
 DN. BARONEM, Academia PATRES, & CIVES, ut & HOSPITES,
 omnium Ordinum, ea, quã decet, modestia præsentibus invita-
 mus, & invitando rogamus, ut suas Nostris preces devote
 conjungere, Deoq; Summo, Totius Universitatis RECTORI, pro hac
 Nobis concessa Clementia, devotas gratias agere, simulqve pro
 SERENISSIMO PATRIÆ PATRE, & AUGUSTA DOMO, pro
 Ecclesiæ, & Academia Salute, pro Collegij nostri felicitate, Novorum
 Doctorum celesti Benedictione, vota facere velint! Sit Deus in his,
 & alijs omnibus, Benedictus! Witteb. P. P. Dom. Esto Mihi
 Die XXII, Febr. Anno M DC XCI.





IN NOMINE JEHOVÆ ELGHIM!
PATRIS IN PARADISO DEAMBULANTIS,
CTORIS UNIVERSITATIS,
VERBI, VOCIS IN PARADISO SONAN-
TIS, ET PRÆDICANTIS,
CANCELLARII CUNCTOS HONORES
IMPETRANTIS, ET DISPENSANTIS,
PIRITUS DIEI, LUCENTIS, SPIRANTIS,
ET MOVENTIS,
ROMOTORIS, HONORES APPLICANTIS,
IUS SACROSANCTÆ TRINITATIS,
DECANUS,
HEOLOGICÆ FACULTATIS,
IN ACADEMIA WITTEBERGENSI,
HANNES *Deutschmann*/
S. THEOL. D. P. P. & SENIOR,
AD
DOCTORALEM AULAM,
DIE XXVI. FEBRUAR. HOR. IX.
LOCO BRABEVTERII PUBLICI,
TEMPLO ARCIS,
SOLEMNIBUS RITIBUS CELEBRANDAM,
AGNIFICUM DN. RECTOREM,
PERILLUSTREM DN. BARONEM,
UNIVERSOS ACADEMIÆ PROCERES,
PATRES, ET CIVES, & alios
HOSPITES,
Observanter, Officiosè, & Humaniter
invitat.

116911